

X. Arcus quadrante maioris excessus supra quadrantem est, quod ipsi supra 90. partes adest. *Vt, arcus GEB, 140. partium, excessus supra quadrantem est arcus EB. 50. partium.*

XI. Semicirculus est arcus 180. partium.

XII. Arcus semicirculo minoris complementum est, quod ipsi ad 180. partes deest. *Vt, arcus GEB. 140. partium, complementum est, arcus BD. 40. partium.*

XIII. Anguli per crucem oppositi sunt æquales. *Vt, anguli BAD & GAH sunt æquales. Similiter etiam anguli GAB & HAD. sunt æquales. Idem fit in Sphæricis. Veritas theorematis per se patet. Demonstratur tamen apud Euclidem de lineis rectis sese mutuo secantibus ad 15. p. 1.*

XIV. Angulus est rectus vel obliquus.

XV. Angulus rectus est, cuius mensura est quadrans. *Vt, EAD.*

XVI. Angulus obliquus est obtusus vel acutus.

XVII. Angulus obtusus est, cuius mensura est arcus quadrante maior. *Vt BAG.*

XVIII. Angulus acutus est, cuius mensura est arcus quadrante minor. *Vt BAD.*

XIX. Angulorum complementa dicuntur, vt arcuum.

XX. Anguli quilibet super eadem linea vtrinque protensa concurrentes simul sumti sunt æquales duobus rectis. *Vt, anguli BAD, EAB. & EAG concurrentes ad punctum A, super linea GD, sunt æquales duobus rectis GAE. & EAD. per structuram.*

XXI. Itaque si obliqui duo super eadem linea vtrinque protensa concurrant, alter est alterius ad duos rectos complementum. *Vt, anguli GAB. complementum ad duos rectos est angulus BAD, & is huius vicissim.*

XXII. Triangulum primò est laterum quorundam æqualium vel omnium inæqualium.

A 2

XXIII,